

32.
A. S. S. T. //

DISSERTATIO PHILOSOPHICA
De

AMORE

SUI

ORDINATO.

Quam

Cum consensu & adprobatione Ampliss.

Colleg. Philosoph. ad Auram,

Sub moderamine

VIRI Max. Rev. atque Ampliss.

Dn. Mag. JOH. HAARTMAN,

Philosoph. Theoret. Prof. Reg.

& Ord.

*Ad publicum bonorum examen modeste
defert:*

NICOLAUS A. SCHATELOVIUS

Smolandus.

In Audit. Max. d. 25. Junii 1734.

horis solitis.

ABOÆ, Exc. Joh. Kiämpe R. Ac. Typ

Reverendissimo in Christo Patri ac
Domino

D^N. GUSTAVO
ADOLPHO
HUMBLE

S. S. Theologiæ Doctori celebratissimo,
Diœceseos Wegsionensis Episcopo
eminentissimo, Synedrii Ecclesi-
astici Præsidi gravissimo, nec non
Gymnasior. & Scholar. per diœcesin
Ephoro adcuratissimo,
Mæcenati Maximo.

Salutem sempiternam & quævis
tausta.

TEmeritatis certe dicam mibimet ipse
scribere viderer, quod ad Tuos lares,
Reverendiss. Præsul, aditum moliri cliens
non dubitem, nisi verentem erigeret singu-
laris gratia, qua singulos musarum am-
plecti haut gradaris cultores, qua fretus,
exi-

exilem hanc opellam ad pedes Tuos, res
devotissimi animi signum certissimum, de-
votissima mentis veneratione depono. Re-
verendissimam Tuam veneramus Exinen-
tiam, quotquot extra solum patrium,
Musarum sectamur castra; simulque nobis
in sinu de tanto sacrorum gratulamur
Antistite, qui nostri tamen non dememi-
nit; calidissima fundentes suspiria, ut Te
sospitem ac incolumem in Nestoream us-
que senectam Divina prestet clementia.
Ego infimum eos inter tenens locum, me,
meamque fortunam, Tuo, Reverendiss.
Pater, supplex commendo patrocinio, quò
nulli devotissimis secundus ero obsequiis,
permansurus quoad vixero.

Reverendiss. Nom. Tui,

devotissimus cultor
Nicol. Schatellovius.

Maxime Reverende atque Amplissime
Domine

D^N. OLAVE
OSANDER

S. S. Theolog. Doct̃or celeberrime,
Dioc̃eseos Weglionensis Archipræ-
posite dignissime, Templi Cathedra-
lis Antistes vigilantissime, Consisto-
rii Eccles. Adessor primarie, Avun-
cule & Patrone desideratissime. sin-
cera animi veneratione parentis lo-
co ætatem colende.

Ex animo certe letor, quod exoptatis.
Esimus tandem illuxerit dies, quo publice
liceat mihi venerabundum & gratum erga
Te restatum meum reddere animum. Pa-
terna plane sunt, si non exsuperant, ea
que ab incunabulis inde mihi prestare non
dedignatus es beneficia. Avi enim Ma-
terni domus me adoptavit, quibusvis cor-
poris alimentis fovendum; Tu vero mem-

mem

gem, virtutibus & honestis artibus
excolere cœpisti meam; quod dum ad cu-
ratori mentis perpendo trutina, tot tan-
taque in me exstant benevolentia & favo-
ris Tui prorsus singularis documenta, ut
iisdem debitis extollendis laudibus, ne di-
cam rependendis prorsus sim impar. De-
um supplex dum spiritus hos regit artus,
indefinenter venerabor, velit Te ut columnen
sue ecclesie adficiēte exoptatissimum, quam
diutissime saluum sospitem ac incolumem
conservare; quo de Tuo patrocínio, cui me
totum in posterum etiam commendo, mihi
semper gratulari queam, perseveraturus
ad cineres:

Summe Rev. Tuæ Dignitatis.

Clientis humillimus
Nicol. Schatlovius.

Admodum Reverendi atque Præclarissimi

Dni. MAGISTRI

In Regio Gymnasio Wegsionensi
Theologiæ & Philosophiæ Lectores
Dexterrimi, vigilantissimi, Singuli Pa-
troni ac Promotores mei
propensissimi.

Excipite serena fronte Patroni ac Pro-
motores exoptatissimi, tenuissimi in
hoc specimen, rudi mea exaratum Minerva,
quod venerabunda Vobis jam offero men-
te, ceu tesseram devoti erga Vos animi;
humillime orans, dignemini me, in posterum
vestro quoque beare favore, cujus me hactenus
expertem esse nolulistis; voti si hac in
re compos factus fuero, persvasissimum Vo-
bis habeatis, me nemini in prompto Vobis
prestando obsequio cessurum. Ipse vero De-
us illum, favorem, quaerens erga me declara-
re haut gravamini nunquam non remune-
rabit. Ego etiam indefinenter permanere
studebo

Admodum Reverend. Præclariss. Ve-
stror. dignitatum

Cliens obsequentissimus
Nicol. Schatlovius.

Admodum Reverendo atque *Praclarissimo*
Domino

Mag. ANDREÆ OSANDRO
Ecclesiarum, quæ Christo in Linnes
ryd & Sandsid colligitur, Pastori, di-
gnissimo & fidelissimo

Admodum Reverendo atque Praclarissimo
Domino

Mag. NICOLAO OSANDRO
Marctarydensium Pastori, dignissi-
mo, vigilantissimo.

Plurimum Reverendo atque Clarissimo

Dn. JONÆ OSANDRO

V. D. Comministro in Ryfby & Tus-
taryd longe meritissimo. Avunculis
meis exoptatissimis, singulari animi
honore atque obsequio æternum pro-
sequendis, quamcunque incolumi-
tatem!

SI Vestris singularibus recensendis immo-
rari vellem beneficiis, quæ in me contu-
listis, charta certe & dies me deficerent; tan-
ta quippe eorum obruat mole, cum altius pa-
ullo eadem mecum perpendero, ut unde inci-
piam, ubi finiam, incertus prorsus bare-
am.

am. Vobis post Deum temporalem omnem,
qualiscunque illa jam sit, debeo felicita-
tem; quare majora certe sunt Vestra in me
collata merita, quam parentis unquam es-
se potuerunt; firma itaque aliorum actorum
spe, Vos in posterum neque eodem me am-
plecti desituros favore. Ego certe cum
nil aliud habeam, quo Vobis eundem remu-
norari queam, id saltem efficere studebo,
ut Vos, Vestra in me benevolentia nun-
quam peniteat. De cetero summum Ni-
men calidissimis fatigare nunquam inter-
mittam suspiriis, dignetur Vos, omni be-
nedictionis genere florentes ac abundantes
in annis bene multos servare, quo adflicta
mee, atque variis fortuna lufibus concus-
sa atque turbata res, per perennem Ve-
stram benevolentiam, jam gliscentes, ex
variarum vicissitudinum pelago, in portum
tandem perveniant exoptatissimum. Fave-
re igitur nunquam intermittite,

Admod. Reverend. ac Praeclariss.
Nomin. Vestrorum.

Cultori sincero atque devoto
Nicol. Schatelovius.

*Admodum, Plurimumque Reverendis, nec
non Praclarissimis, Clarissimis, atque Do-
ctissimis Dominis*

Mag. DANIELI LANNERO
Pastori in Nöbbelds atque Torsåhs &
dignissimo & accuratissimo

Mag. JACOBO STOCKE
Pastori in Näsahult & Stenbergga ut
optime merito, ita vigilantissimo.

Mag. ERLANDO OSANDRO
Pastori in Långastid & Liuder dignissi-
mo & vigilantissimo

Mag NICOLAO OSANDRO
Pastori in Pietterhd vigilantissimo
adcuratissimoque.

Mag. JONÆ OSANDRO
Philosophiæ Lectori in Gymnasio Vi-
singsburgensi dexterrimo, vigilantissi-
mo.

Dno PETRO STEENBECK
V. D. in Tols/ Tiureda & Ufa Com-
ministro eximiae laudis.

Avunculi loco omni honoris & reve-
rentissimè salutem & dignissimè
omninoque

Tenuis hasce lucubrationes cum Inven-
collata beneficia, ulterioremque com-
tis.

Admodum, Plurimumque Reveren-

Perpetuus U,

Nicol.

Mag. MAGNO STOLPE

Synedrii Ecclesiastici Notario laudatissimo.

Dno. BENEDICTO LUNDELIO

V. D. Comministro in Linneryd & Sandsid, exoptatissimo.

rentiæ cultu ætatem suspiciendis.

*ex gratissimi animi, ob plurima in se
mendationem, mente etiam offert devo-
sima;*


dor. Nominum Vestrorum.

Affidus cultor

Schatelovius.

CONSPPECTUS.

- §. I. De amore in genere agit.
- §. II. Amorem sui ipsius rationalem & irrationalem paucis attingit, atque nobis rationalem jam in sensum venire indicat.
- §. III. Definitionem amoris sui ordinati, ejusque explicationem adhibet.
- §. IV. Amorem sui duplici respectu, absoluto nimirum & relativo considerat, simulque officia circa mentem, ex amore absoluto observanda, præscribit.
- §. V. Officia circa corpus ex eodem deducit fonte.
- §. VI. Amorem relative consideratum leviter perstringit.
- §. VII. Philantiam naturalem contra adversarios vindicat.
- §. VIII. Extrema amoris sui in excessu exhibet.
- §. IX. Ejusdem extrema alia in defectu significat.



§. I.

Cum duæ dicuntur præcipue affectiones cuiuslibet creaturæ, cui sensus sui inest, adhærentes: *amor* nimirum & *odium*; quarum prior resultare videtur, ex convenientia objecti cum facultate appetente: posterior, ex ejusdem disconvenientia; reliquæ autem in homine habentur a celeb. Buddeo (a) Piccolomineo aliisque harum tantummodo modificationes, quæ dictis ambabus originem debent, ratio adsertionis desumitur ex objecto, quod in genere *bonum* est vel *malum*, *gratum* vel *ingratum*. si jam in bonum teratur

A tur

tur adpetitus, vocabitur *amor*,
 fin vero in *malum*, ut illud a se
 removeat & aversetur, *odium*.
 Huic adstipulatur sententiæ, Au-
 gust (b), Platonem hoc in nego-
 tio secutus, dicens: *Quatuor*
virtutes primas morales, nisi esse
nisi amorem ordinatum, vel amoris
ordinati diversas species; & quoni-
am virtutes morales sunt moderatio-
nes perturbationum, jure colligimus,
omnes ex ejus sententia perturbatio-
nes ad amorem redigi. Et alio in
 loco (c) *amor inbiens habere, quod*
amatur, cupiditas est; id autem ha-
bens, eoque fruens, letitia; fugiens,
quod ei adversatur, timor est, idque
si acciderit, sentiens, est tristitia.
 Quomodo autem amor se habe-
 at ad cupiditatem & vicissim cu-
 piditas ad amorem, vel ut fons
 ac origo, vel ut effectus amo-
 ris, in præsentî discutere non
 vacat; Nos cum deprehendamus
 fin:

ſingulare ſe conſervandi ſtudium
 omnibus hominibus non modo,
 verum etiam aliis creaturis a
 ſummo numine eſſe inditum,
 cujus vi, ſimulac vivere incipi-
 unt, omnia in ſui perniciem
 tendentia quacunq; ratione amo-
 liri ſtudent, illud heic præcipue
 nobis in cenſum veniet. Quare
 Cicero (*d*) id inter τὰ πρῶτα κατὰ
 φύσιν ſeu prima naturæ refert;
 animal enim ſimul atqve natum
 eſt, ipſum ſibi conciliatur & com-
 mendatur, ad ſe & ſuum ſtatum
 conſervandum, atqve ad ea, quæ
 eum ſtatum conſervant, diligen-
 da; nam abhorret ab interitu, &
 omnibus rebus, quæ ipſi interi-
 tum ſunt allaturæ; unde etiam
 ait, fieri, ut nemo ſit, quin,
 cum utrūmvis liceat, aptas ma-
 lit & integras omnes corporis
 partes, quam uſu imminutas, aut
 detortas habere Et tantum a-

4
best, ut studium hoc sese con-
servandi in vitio poni queat, ut
a Deo optimo hoc, omnibus re-
bus animatis datum esse sciamus.
Hominem imprimis si perspexe-
rimus, videmus eum tanto se
met ipsum prosequi amore, ut
nemini faciliorem, quam sibi-
met ipsi, se unquam det; unde
Aristoteles (c) ὅσι Φιλεῖν μάλιστα τὸν
μάλιστα φίλον h. e. decet maxime a-
maro sibi amicissimum; quisque er-
go seipsum maxime amat, sui
ipsius, non vero alterius causa.
Hinc etiam Cicero in lælio ait.
Ipse se quisque diligit, ut non ali-
quam mercedem, a se ipso exigat ca-
ritatis suæ, sed quia per se quisque
carus est. Indidit vero Deus ho-
mini hunc amorem, ut esset i-
psi tanquam stimulus ad hone-
stas quasvis actiones peragendas,
proinde quando absolute confi-
deratur, fundamentum est vari-
orum

orum ac plurimorum officio-
 rum, homini erga se ipsum ex-
 ercendorum; quorum quædam
 respiciunt nobilissimam ejus par-
 tem animam, atque consistunt
 præcipue in veri ac agendorum
 omittendorumque cognitione; i-
 mo etiam facultatum & adfectu-
 um prudenti regimine; quædam
 etiam corpus, cujus futuris ani-
 mus sustinetur; huc pertinet hoc-
 ce Ciceronis: *Valetudo sustentatur
 notitia sui corporis & observatione,
 que res prodesse soleant, aut obesse
 & continentia in victu omni atque
 cultu, corporis tuendi gratia & præ-
 termittendis voluptatibus.* Corpo-
 ri enim si sua non constet sani-
 tas, nimium quantum, anima
 in suis impeditur functionibus.
 Igitur amor nostri ordinatus, id
 nobis quam maxime commen-
 dat, ne quid admittamus vel fa-
 ciamus, quod corpori adeoque
 vale-

valetudini quovis modo officere
 queat. Quædam denique offi-
 cia nobis incumbunt exercenda
 etiam erga alios | ex præscripto
 hujus amoris, cum vita, quæq; ad
 vitam pertinent, ab aliis impe-
 tuntur, injusto & illegitimo mo-
 do. Quæ omnia ex principiis
 honesti optime deducere novit
 is, cui ex meliori luto finxit
 præcordia titan. Mihi specimen
 qualecunque Academicum editu-
 ro, præsens præcipue arridere
 cœpit argumentum; utpote quod
 haut parum cuivis se suaque ad-
 curate inspicienti, & jucunditatis
 & utilitatis adferre potis est; li-
 cet, proh dolor! ingenioli admo-
 dum rudis vires sat imbecillæ, &
 nimis angusta suppellex non ad-
 miserint dignam ejusdem elabo-
 rationem. Velle tamen nostrum
 ut æqui bonique consulere di-
 gnetur Cl. L. quæ par est reve-
 ren-

rentia oro.

(a) *Ib. Mor. part. 1. c. 1. sect. 6. §. XVI. Piccol. de materia virt. gradu primo cap. 19. p. m. 103. seq.* (b) *in libro de moribus Eccl. (15. vid. Piccolo loco cit.* (c) *L. 14. de civitate Dei c. 7.* (d) *L. 3. de finibus* (e) *L. 9. c. 8* (f) *L. II. off. c. 24. circa finem.*

§. II.

ANtequam ad amorem illum, quem levi sumus delineaturi penicillo, considerandum nosmet, accingemus, necesse est observemus, nobis non esse sermonem de amore illo, quo se ipsa bruta amplectuntur animalia, cum adeo conspiciuntur esse etiam suæ conservationis studiosa, ut omni ratione in sui perniciem tendentia amoliri non intermittant; Quippe qui ex solo naturæ instinctu oritur, adeoque amplius se non extendit, quam

quam solummodo ad præsentia,
 & quæ ad partem faciunt. Ille
 autem amor *alius* prorsus est in-
 dolis, qui prælucente intellectu & de-
 cernente voluntate suscipitur & ex-
 ercetur, adeoque hominem plu-
 rimorum commonefacit officio-
 rum; nam eo ipso, quo se ipsū
 ordinate amat homo, aliis etiam
 prodesse studet; qui se ipsum a-
 mat, is primario mentem pluri-
 mis exornare studet virtutibus,
 quæ intra ipsum otiosæ non ma-
 nent qualitates, sed fructuosæ;
 sua in alios commoda etiam pro-
 ferentes. Hujus amoris ratio-
 nalis varia dantur *genera* indu-
 bia, quorum *primum* est, quod
 seipsum moderate amans, *sibi*
consentiat ipsi, secundum omnes
 animi vires & potentias, adeo
 ut, adpetitum, qui rationi sem-
 per debet obtemperare, sibi ha-
 beat obsequentem, nec quod se-
 met

met ratio judicavit honestum, unquam inhonestum esse iudicet; quod constantiam in illo haut exiguam prodit. *Secundum* est, quod semper sibi bene facere ac velle præsumatur, atque id non alterius, sed sui ipsius causa, dum nimirum mentem præstantissimam sui partem, variis exornare studet virtutibus, & rationem ducem sequi in omnibus, longe existimat utilius, quam modo præpostero adfectibus cupiditatibusque obediendo, vim naturæ quasi inferre. *Tertia* quod secum habitet, & sui ipsius conservationi se reddere studeat habilem atque idoneum, recordatione præteritorum bene gestorum; imo etiam spe futurorum bonorum, quæ ob virtutem aliquando est consecuturus; ad eum modum animum componens suum, ut cum Scipione
 ad-

adfirmare aufit, de quo Cicero
 (a) se nunquam minus esse so-
 lum, quam cum solus esset, nec
 minus otiosum quam cum a cu-
 ris reipublicæ esset liber. *Ul-
 simum* amoris rationalis *zēthēor*
 est, quod sibi semper constet, hoc
 est servare norit modum in secū-
 dis æque ac adversis; nam nec
 adversis succumbit, nec se-
 cundis insolescit, quo iplo præ-
 claram æqvabilitatem præstat in
 omni vita, & pro rei varia con-
 ditione eundem semper gerit vul-
 tum. quæ constantia & animi
 jucunditas ex recte factorum con-
 scientia oritur.

(a) *Lib. 3. Cap. 2.*

§. III.

HUJUS vero amoris hanc ex-
 hibemus definitionem: *A-
 mor sui ordinatus, est omnium alio-
 rum humanorum affectuum principi-
 um, quo esse nostrum partim instin-*

ctu

Ex natura, partim rationis ducta
ad conservandum nosmet decenti mo-
do ferimur. Cum principium o-
 mnium aliorum affectuum dici-
 mus amorem nostri, patet hinc
 primo, amorem nostri, esse u-
niversalissimum affectum, & omnium
 aliarum passionum fontem, quip-
 pe quæ non nisi emanationes &
 species sunt philantiæ. Nihil e-
 nim odissemus, ob nil tristare-
 mur vel irasceremur, nil deside-
 raremus, speraremus vel metu-
 eremus, nisi saltem nos ipsos,
 nostramque *conservationem,* aut
 quamcunque ejus speciem ama-
 remus. Ex hoc nostri amore
 fluunt omnes alii quotquot sunt
 affectus (a) unde deinde liquet
 summum esse amorem, quo
 quisque in se fertur; quod etiam,
 præter ipsam experientiam Gel-
 lius confirmat (b) *Natura, inquit,*
omnium rerum, quæ nos genuit, im-
 duit

duit nobis, inolevitque in ipsis sta-
 tim principiis, quibus nati sumus,
 amorem nostri & caritatem ita pror-
 sus, ut nihil esse carius pensusque
 nobis possit, quam nosmet ipsi:
 hinc Nobil. quoque Puffendorf.
 (c) hominem primo hoc habere com-
 mune affirmat, cum omnibus ani-
 mantibus, queis sensus sui inest, ut
 seipso nihil habeat carius, seipsum
 studeat omnibus modis conservare, ut
 qua bona sibi videt, acquirere, ma-
 la vero repellere nitatur. Et hic
 quidem erga seipsum amor est. tam
 validus, ut quævis inclinatio erga
 quemvis alium ipsi cedat. Quod
 autem nihil amemus, nisi quod
 relationem ad nos ipsos habeat,
 i. e. unde amando aliquid com-
 modum speramus aut aliquam
 percipimus voluptatem, id non
 tantum imbecillitati per lapsum
 attractæ adscribendum est, sed
 quod creatura non nisi cum re-
 spe-

spectu ad se amare possit; siquidem bona felicitatem provehentiā & conservantiā haut in se habet sufficientia : sed ab extra demum expectare debet. Usus vero genuinus amoris sui cum se exerit in eo, ut nos ad nostri conservatiōem sollicitet, in tantum minime vitiosus esse potest. Etenim Deus hominī indidit, & scriptura normam amoris aliorum fecit *rationalem amorem sui*. Omnis autem amor sui, est *rationalis*, quando homo in eligendis bonis sibi commodis, modam prudenter observat, scil. (a) ut excellentiora bona præferat minus excellentibus, (β) ut in prosecutione bonorum sibi in se infervientium nunquam vel Dei honorem, vel alterius jura lædat (a).

(a) Confer Clariss. Genskenium in *erat. Eth. phys. de affectibus p. m. 22.*

(b)

(b) L. 12. C. 5. (c) de offic. hom.
 & civis l. 1. C. 3. §. 1. (d) Gensk. su-
 pra cit. p. m. 36.

§. IV.

UT vero amoris sui ordinati
 delineatio eo fiat explana-
 tior, duplici respectu, ut hunc
 consideremus, fas erit *absolute* ni-
 mirum & *relative*. Priori modo
~~modo~~ explicatus, præcipue re-
 spicit partes hominis duas essen-
 tiales & constitutivas, quarum
 prior est *mens*, imperium in cor-
 pus suum obtinens, quo respec-
 tu homo, cui mens sana est in
 corpore sano, primo ad explo-
 randas & excolendas animi do-
 tes sibi a Deo concessas, ut glo-
 ria creatoris illustrior, & magis
 idoneum societatis humanæ eva-
 dat membrum, quam maxime
 tenetur. Deinde requiritur, ut
 homo aureum illud γνῶσις σεαυτῶν,
 a vetustate olim tanti factum,
 ut

ut aureis literis in templo Delphico positum fuerit, sedulo perpendat; ex qua notitia fluit, quod deducatur in cognitionem suæ conditionis ac muneris, quod ipsi in hoc orbe impositum esse animadvertit, atque se non sibi ipsi, sed sublimiori principio origines suas debere, atque nobilioribus se instructum facultatibus, quam, quæ circa se conspicit, bruta; ex quibus velut fontibus notitia officii sui non tantum deducitur, verum etiam, quod intelligat se divino esse subiectum imperio, adeoque ad celebrandam ejus majestatem, cui sese debet, tam in fieri, quam esse suo, maxime obligatum, imo etiam quod sibi non liceat cæco quodam impetu omnia agere, sed prius eadem expendere, atque sociabilem se erga alios homines quovis modo gerere. Ex eodem fon-

fonte fluit etiam *cognitio virium*
 humanarum, quæ quidem finitæ
 sunt, & facillimo negotio ab
 alia potentia impediri atque in-
 tercipi possunt, ut circa ea, quæ
 extra ipsum sunt posita, pruden-
 ter se gerat, ne contra torren-
 tem nitatur, sive ea adpetat,
 quæ vires ipsius exsuperant, nec
 ea, quæ supra se sunt posita va-
 ria ac inani spe adfectet, cum ad
 aliam adspirare nequeat felicita-
 tem, quatenus solo facultatum
 naturalium regimine dirigitur,
 quam quæ ex prudenti earum
 directione nascitur. *Denique* &
 illud scitu homini maxime est
 necessarium, ut rectum preti-
 um rebus quæ adpetitum sti-
 mulare solent, ponere nove-
 rit, circa quas animus ita est
 obfirmendus, ut existimatio-
 nem saltem simplicem, hoc
 est, boni viri semper in possessi-
 one

one teneat, ne adfectuum turbine in transversum rapiatur, sed adpetitus semper obseqventes habeat rationi; secus enim si fiat, violatio legis naturalis aliaque plurima incommoda inde nobis accelerantur. *Verbo*; cui-libet mortalium videndum ante omnia ut intellectus doctrina veri, honestis artibus ac disciplinis imbuatur; voluntas ad quasvis virtutes & bonos mores sese applicet, alia animi vires ad obsequium rationis redigantur. Qui disciplinas curiosas & societati humanæ minus utiles ac necessarias præcipue addiscere satagunt, illis nihil pensi est, quantum emolumentum societati adferant, sed tantummodo ut fruges consumant. Ast eum in finem sumus nati præcipue, ut omni feritate discussa, diversam a brutis instituentes vitam, o-

B

mnem.

mnem curam impendamus ad debita officia erga Deum, nosmet ipsos & alios homines exercenda. Atque hæc de cultura animi paucissimis delibasse sufficiat.

§. V.

QUOD autem ad posteriorem hominis partem, nimirum corpus attinet, illius cura non profus est negligenda, licet operosior aliquanto videatur ea, quæ circa animum est occupata. Hæc præcipue in sanitate conservanda consistit; quare nihil admittere vel facere debemus, quod illi quavis ratione noxium esse deprehenditur; hinc nobis abstinendum esse sciamus ab omnibus iis, quæ valetudinem nostram lædunt. Quo nomine vitandæ sunt intempestivi & non necessarij labores, cavendum ne nimio cibo vel potu nos oneremus cum hæc plurimos corpori accelerant.

lerare toleant morbos, & non
 effeminatos tantum, ac molles
 reddere homines, sed etiam non
 raro rationis vim ipsis adeo de-
 bilitare intellexerimus, ut quid
 honestum ac turpe sit, plane de-
 inceps intelligere nequiverint.
 Nec exiguum damnum corpori
 adfert immodica & lasciva *venus*,
 ipsi enim indulgentes corporis
 ita adfligunt vires, sensusque su-
 os, alias sat acutos, ita obtundunt,
 ut prorsus inhabiles atque non
 idonei ad munia sua exsequenda
 reddantur, quo vitio certe nil
 foedius deprehenditur, cum hoc
virtutes atterantur, victoria lan-
gueant, sopita gloria in infamiam
vertatur, animiq; pariter ac corpo-
ris vires expugnentur ut verbis u-
 tamur Val. Max. l. 9, c. 1. §. 1.
 Qui hoc sunt infecti vitio, præ-
 terquam quod vim inferant vitæ
 suæ, in societatem etiam civi-
 B2 lem

lem peccant, ac erga summum
 Numen, quod eos ad societatem
 hanc recte colendam destina-
 vit, se reddunt ingratos; Cum
 autem omnia, quæ sanitati quo-
 cunque modo sunt nocitura, ita
 avertere tenemur, morbo cor-
 reпти, post divinam opem etiam
 medicam operam implorare debe-
 mus, quo sanitati restituti deinde
 Deo & societati servire quea-
 mus. Spectat etiam huc, quod
 vita ipsa singulis corporis par-
 tibus præferri debeat, adeo ut si
 membrum insanabili vitio cor-
 reптum aliquando deprehenda-
 tur, illud prius sit abscindendum
 quam totum corpus ejusmodi
 inutili appendice pereat; inde
 tamen non sequitur, quod lice-
 at alicui membra sua pro lubitu
 perdere aut luxare, cum om-
 nis ἀνὸς ἀξία hęc nomine il-
 licita jure naturæ censeatur; ne-
 mo

mo enim potestatem habet in id, quod sibi met ipsi acquirere non valet. Deus vero qui auctor est vitæ, eam homini adimere pro lubitu potest in quam homini nil hoc in negotio est juris. vid. Illust. Puff. Jure Nat. & G. lib. II. c. 4.

§. VI.

JAm de cura bonorum fortunæ, speciatim famæ & existimationis, cujus neminem prodigum esse debere etiam vulgato verbo dicitur, aliqua tærent dicenda. Sed res angusta domi, temporisque ratio monent, ut brevitati litantes, hæc hac vice prætermittamus. Quocirca ad amorem nostri relative [conside-
randum, quo nempe respectum ad alios homines in societate civili viventes habere debemus, nosmet convertimus; Cujus rationem aliquam haud in commo-
de

de axioma hoc generalissimum
 repræsentat: *Caritas ordinata in-*
cipit a se ipsa. Vel hoc potius,
Quod tibi non vis fieri, alteri ne
feceris; quo cum consentit hoc-
 ce scripturæ: *Diliges proximum*
tuum, sicut te ipsum. Ad has e-
 nim regulas caritati ordinatæ
 studens ita componere debet a-
 ctiones, ut sibi plus quam decet
 non arroget. Sed potius, ea be-
 neficia, quæ sibi ab aliis præ-
 stantur, quovis modo remune-
 rare sataget. *Possent quis hic scisci-*
tari nosmet, quousq̄ liceat suscipere
defensionem sui adversus alium me-
invadentem? quæ quæstio ante-
 quam excuti queat, status pro-
 be est distinguendus. In statu
 naturali ubi nulla sunt fora
 nullave iudicia, latius hæc se ex-
 tendit defensio, quam in civili
 seu adventitio, ubi omnia sunt le-
 gibus ac institutis bene circum-
 scri-

scripta; in hoc licet mihi tum
 suscipere defensionem mei vio-
 lentam, cum auxilium magi-
 stratus, implorari nequit; quod
 in legibus antiquis nuncupari
 sivevit, *vitta lissnöd*. At in pri-
 ori statu ubi ipsemet sum vin-
 dex injuriæ mihi ab alio illatæ,
 licet mihi injustum in valorem
 tamdiu repellere, donec ipsi o-
 mnes vires me in posterum læ-
 dendi sint subtractæ; atque idem
 pro rebus vitæ æquipollentibus,
 quod pro vita mihi permittitur,
 cum vita mea ejus sit indolis at-
 que naturæ, ut sine rebus susten-
 tari nequeat; proinde qui eas
 mihi subtrahit, vitam indirecte
 etiam impetit meam; eadem i-
 gitur est defensio utriusque. Ast
 si in fugam quis ab injusto sit
 conjectus in valorem, & alius me
 in fugiendo impediat, adeo ut,
 si eum sustulero mihi esset pere-
 un-

dum, tum nullum est dubium, si ex malitia fiat, quin mihi liceat eundem quocunque modo remove, si admonitus non cesserit. At vero, si claudus vel infans, vel etiam alius aliquis sit mihi impedimento, excusationem saltem merebor si cum ejus vel majori vel minori incommodo fugam moliar, cum mihi nulla alia fuerit elabendi occasio. De his autem plura videat, cui volupe fuerit. *Illust. Pfsen. de Jur. Nat. & G. l. 2. c. 5.* *Sed num id pro pudicitia, quod pro vita liceat, diu inter doctores Juris Nat. disceptatum;* cum pudicitia sit irreparabile bonum & pretium, ex quo sexus femininus præcipue æstimatur, videtur igitur idem favor illam, qui vitam sequi; sed quid ad hoc argumentum respondendum existimemus, facile colligere quis forte

te poterit, ex iis quæ diximus
 §. V. ad finem. Quibus addi-
 mus quod violenta corporis ex-
 terna contrectatio, munditiam
 ac castitatem animi tollere vix
 possit; quod confessa quondam
 etiam est Lucretia (b) Cui sen-
 tentiæ adstipulantur Osiander &
 Zieglerus ad Grot. I. 2 c. 1. ali-
 ique.

(a) Lib. 3. off. c. 22, (b) Liv. L.
 I. C. 58.

§. VII.

Sed violenta me defensio majores rixas ac turbas videtur excitare in societate humana, quam si ipse patienter corpus invasori præbeam, imo etiam genus humanum minorem jacturam pati videtur, me, quam invasore occiso. Sed hæc ipsa defensionem mei vix facere possunt illicitam, præsertim cum is, qui a me postulat ut tranquille ac pacifice vitam agam cum ipso;

ipſo; eadem officia etiam mihi
 viciffim præſtare teneatur; nec
 ulla lex meam me prodere ju-
 beat ſalutem, quo alterius ma-
 litia impune graſſari queat; præ-
 terquam etiam quod *αὐτοχρησία* me-
 rito inter turpiſſimas homicidii
 habeatur ſpecies, aqve hæc cum
 nullo modo fit committenda;
 hinc nec permittendo, nec pa-
 tiendo, ut vita mea, quocunq;
 modo lædatur, defenſio hæc ſim-
 pliciter meo relicta eſt arbitrio,
 ſed omnino eſt neceſſaria; & ſi
 quod damni hoc ipſo injuſto in-
 vaſori, etiam ſalutis æternæ, ac-
 cidat, habeat, quod pravitati
 ſuæ imputet, qui illam mihi im-
 poſuit neceſſitatem adſerente Pu-
 fend. (a). *Aſt ſi in vaſoris vita
 fit utilior mea,* putant quidam
 mei defenſionem non adeo eſſe
 debitam ac neceſſariam ut ea in-
 termiſſa peccatum contrahatur,
 led

sed potius inter licita ac permis-
 sa numerandam. Verum plura
 hic in contrariam quoque par-
 tem notanda putamus; primum
 quidem quod minoribus instru-
 tu, dotibus, plus sæpe & Eccle-
 siæ & reipublicæ intervire vide-
 atur, quam qui de majoribus
 sibi gloriari potest. Deinde illi-
 us vita non est censenda utilior,
 qui potest esse commodo, sed
 qui revera est. Quod de turbu-
 lento reipublicæ membro dici
 non potest; nec denique illud
 prætermittendum, quod quovis
 prætextu prioritatis, porta qui-
 busvis insidiis atque malis foret
 aperta. Alias quæ ad hanc rem
 habet Excell: Puff. (b) prolixè
 satis merentur omnino conferri.
 Verum enimvero *quum ex amore
 sui ordinato quilibet sibi met ipse sit
 quam maxime obligatus sequitur,
 quod is, qui vitam & reliqua bona
 pro*

*pro patria atque amicis profundè
 contra leges hujus amoris peccare
 videatur.* Ceterum distinctè ad
 hæc ipsa est respondendum; di-
 stinguendo nimirum inter gene-
 ra bonorum, quorum alia sunt
honestæ alia tantum *utilia*; ad pri-
 ora referuntur virtus, existima-
 tio, honor & gloria; ad poste-
 riora autem vita opes & facul-
 tates. Jam is se maxime amare
 est dicendus, qui pro minorum
 bonorum jactura majora sibi ad-
 quirere satagit; & vitam, opes
 atque facultates in discrimen pro
 patria & amicis quando oportet
 libenter ponit, faciens eo ipso,
 quod maxime honestum est at-
 que laudabile, dum caduca illa
 & fragilia parvi pendens perpe-
 tuam laudem & nunquam inter-
 morituram gloriam ac memori-
 am sui parare sibi pergit. Quo
 nomine celebrari solet Achilles,
 quod

quod licet sibi in bello Trojano
 cadendum esse sciret, maluerit
 tamen subire mortem, quam
 longævam absque gloria tradu-
 cere vitam. Ex quibus luculen-
 ter patere posse existimamus,
 quod vir bonus, & seipsum ama-
 re & vitam atque facultates suas
 pro patria ponere possit. Nec
 hinc tamen sequitur, patriam
 hac ratione magis quam se ipsum
 amari; nam licet pro patria bo-
 na omnia externa, quin & ipsam
 vitam quis profundat, requiren-
 te hoc ipsum gloria Dei, & ne-
 cessitate aliqua publica, se tamen
Θεῶν plus amat, quia id gloriæ
 Dei, honestatis ac immortalis
 nominis causa facit (c). Quid
 autem dicendum sit de viro bo-
 no, publico munere in republi-
 ca fungente, totque oneribus at-
 que molestiis obsito, ut vita e-
 jus ob easdem brevior reddatur,
 quam

quam si molliter ætatem exigat, ex antecedentibus fere constat; qui enim in civitate quadam bene instituta vivit, dum consensit, ut suæ securitatis & publicæ utilitatis causa, in patriæ ac universorum civium utilitatem ac salutem possibili quovis modo promovendam ac amplificandam, locaret operam; sine qua societatis finis obtineri non posset, seipsum tum certe amat, cum universorum, sine respectu ad suammet ipsius utilitatem in omnibus, pro virium modulo suarum it promovetur. Cum omnes bene valent, singulos bene valere necessum est; & proditor salutis publicæ habetur recte, qui sibi soli servit. In ceteris consulat cui volupte fuerit Nobiliss. Puff. de Jure N. & G. l. 2. c. 4. & 5. fuse satis differentem, & abunde, ut speramus ipsi fiet satis.

(a) *de off. Ho. C. L. 1. C. 5. Jure N. & G. L. 2. C. 5. §. 1.* (b) *Jure N. G. Cap. 5. §. 2. seq.* (c) *confer. Hall. de phil. inn. p. m. 2.*

§. VIII.

Restat adhuc pro ratione instituti, ut aliqua dicamus de illis quoque ipsis qui se amantes vel in excessu vel defectu peccant, illorum vitium est, *nimia sui placentia, Philautia prava, amor sui cæcus*, quo quis nimium sibi et ipsi adulando, adfectibus & cupiditatibus suis indulgendo, bona animi & corporis nimium extollendo, nec non externa bona adpetendo modum excedit, & intuitu omnium horum ad honestatem oculos habet clausos. Quo respiciens Plato affirmare haud veritus est: *αὐθαδέειαν πάντων ἀμαρτημάτων αἴτιον εἶναι*, sui placentiam omnium peccatorum causam esse. Amor quippe sui omnibus pe-

pene actionibus sese novit quam mollissime insinuare, & dum bonam intentionem sensum ac blande subtrahit, substituit malam. Amor sui amicus est omnium delectationum, & efficacissime docet, seipsum adorare, seipsum quærere, sui ipsius actionibus atque intentionibus malis fucum innocentiae quam optime allinere. Ludovicus vives (a) vocavit eam caput omnis superbiæ, omnisque ignorationis causam. Hoc itaque vitio inprimis laborare censentur vel qui maximam corporis habent curam, parum de anima solliciti, nocte dieque genio indulgentes, nec considerantes prodigam voluptatē semper famem sui pati & alimentis perpetuis non posse impleri; vel quibus est semper in corde & ore hocce poëtæ: *O! cives, cives, querenda pecunia primum, virtus post.*

post nummos. Vel qui multa sibi, i-
 mo toti terrarum orbi polliceri
 falsis tantum verbis polliceri haut
 verentur; alios quosvis flocci faci-
 entes: Vel si se aliqua ratione
 alios anteire animadvertant, in-
 star pavonum cristas erigunt,
 non memores pedum, quos ha-
 bent leprolos. Hos lepide de-
 pinxit Ælopus hac tabella: *Habent*
homines duas manticas, alteram
ante se, alteram a tergo propenden-
tem; in priorem mittunt vitia alie-
na, in posteriorem autem sua, quia
in aliorum vitiis dijudicandis
Lyncei sunt, in suis vero talpa
cœciores. Hinc recte Comicus:
Itane hominum esse comparatam o-
mnium naturam, aliena ut melius
videant ac judicent, quam sua? Quæ-
 ri hoc loco convenienter posset.
Num propria semper laus sordeat?
 Sed respondemus, quod seipsum
 laudare non liceat ore, ni fiat e-

mendandi errantes vel iniquum
 adversarium retundendi gratia,
 alias re ipsa & facto semper se
 laudare licitum est atque hone-
 stum. quæ de re Plutarchus inte-
 grum edidit libellum, qui for-
 san hac de re consuli po-
 test. Sed redeamus ad rem: Ni-
 mius amor sui, & arrogans per-
 svasio de sua præ aliis perfectio-
 ne, in misero ejusmodi homine
 ea progignit incommoda, ut nec
 sibi nec aliis placere queat, adeo-
 que vitam cum illis exigere trā-
 quillam; nam non quærit ea,
 quæ sibi desunt, adeoque nec
 veram virtutem, nec sibi ipsi re-
 vera bene vult, cum animi bo-
 na, ut virtutem, sapientiam ac
 eruditionem sibi adquirere non
 recte pergat, sed bona externa,
 sibi aliisque hominibus magis no-
 xia quam utilia. Nec toto ani-
 mo gaudere potest, quia dum
 gau.

gaudet secundum adpetitum, contristatur secundum rationem; affectat enim ea, quæ adpetitus desiderat, ratio vero averfatur, adpetitus autem debet semper obedire rationi, docente Cicerone in Officiis. Nec secum conversari potest, sed necessario quarit sodalitia aliorum; vel quia bonis animi solus frui aliquando non didicit, vel quia scelerum admissorum agitur conscientia. Exemplo sit Saulus, qui cum esset solus, a malo infestabatur spiritu; Quocirca Davidem ad se sæpius accersere coactus est; quo pulsante Citharam malus spiritus ab eo discessit. Nec denique vitam ac incolumitatem suam amat, dum intemperantia aliisque vitiis sibi ipsi injusto tempore mortem accelerat.

(a) ad Marcel. L. 14. C. 13.

§. IX.

Horum vero qui scilicet *in defectu* peccant est vitium: *odium sui*, quo quis seipsum & sua injuste negligit ac odit; vel cum animi concessas dotes non recte excolit, vel cum in

corpus suum quacumq; ratione est in-
 jurius, vel donorū fortūa, in primis
 bonæ famæ & existimationis, non ha-
 bet justam rationem. Huc pertinēt *αυ-
 τοκτενια* qui se ipsos vita nefario mo-
 do privant, ut Achitophel, Judas,
 Lucretia aliique etiam qui se ipsos
 castrant: *ἀσρογοι*, qui suos vel odio
 habent, vel de illis non gerunt de-
 bitam curam, corvorum haut dissi-
 miles qui pullos suos adhuc in plu-
 mes deserunt. Et denique qui cu-
 ram corporis sui debitam non ha-
 bent, sed vel genium defraudantes
 suum, justo magis cibo & potu ab-
 stinent, vel quacumque alio modo
 cum Monachis flagellatoribus se
 macerant. Plura addere jam non
 licet; si expectationi B. L. satisfacere
 minime valuerimus, speramus
 humanitatem illius, intentionem
 nostram saltem hoc in negotio bo-
 nam, benigne interpretaturam, &
 nævos occurrentes imbecillitati no-
 stræ facile condonaturam.

